

tiarum praesidia quaerant, quam viri; et inopes, quam opulenti; et calamitosi, quam ii, qui putentur beati. O praeclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. Quae est enim ista securitas? specie quidem, blanda, sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est consentaneum, ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est, quae necesse est, cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur, atque oderit; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas, rebus injustis justos maxime dolere, imbecilibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, et laetari bonis rebus, et dolere contrariis. Quamobrem si cadit insipientem animi dolor, (qui profecto cadit, nisi ex ejus animo extirpatam humanitatem arbitremur): quae causa est, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem, sed inter hominem et saxum, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem? Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram, et quasi ferream esse volunt: quae quidem est cum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis; ut et bonis amici quasi diffundatur, et incommodis contrahatur. Quamobrem angor iste, qui pro amico saepe capiendus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam; non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur.

Cum autem contrahat amicitiam (ut supra dixi), si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, et adjungat: id cum contingit, amor exoriatur necesse est. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut